



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 97. Ravenna assultu invasa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

vennam ingressus est, altera autem post hora Gasto eandem obsidere cæpit, prima vero castra posuit Montanam inter & Bedesin fluvios, qui ex Apeninis al-  
 pibus procurrentes vix non Ravennæ moenia alluunt, demumque media infra urbem leuca se conjungunt, portamque exhibent, eo situ, ut dextram Gallici exercitus aciem Bedesis, sinistram vero Montana clauderet, urbs vero utramque recta respiceret; ibi Gasto pontem Montanæ fluvio imposuit, mediamque exercitus partem trajicere jussit, castrisque trans flumen positis, ad fallendum hostem impressionem facere paravit; cum vero urbem, priusquam hostes in auxilium venirent, subigere meditaretur, structis duobus aggeribus tormenta imposuit, ac solidis viginti quatuor horis urbem continuis explosionibus verberavit, nec tamen viginti perticis ampliore in muris hiatam aperuit, unde nonnisi superior moenium pars nudabatur: inferior autem ad senipedalem altitudinem intacta permanebat.

Sæcul. XVI  
 A.C. 1512.

§. XCVII.

*Ravenna assultu invasa.*

Cum vero Gallorum exercitus annonæ inopia jamjam laborare inciperet, eoquod Venetorum classis illius subve-

Sæcul. XVI  
A.C. 1512.

tionem præpediret, necnon Foederatorum copiae urbi suppetias laturae appropinquarent, hinc Gasto assultum tentare decrevit; quocirca ex quavis centuria decem cataphractos equis desilire iussit, & mille Gallos pedites selegit, totidemque Germanos, nec pauciores Italos atque hos omnes, cum moenia, quæ transcendere oportebat, sex pedum altitudinem haberent, scalis instruxit, atque ad assultum eduxit; tres omnino horas immota utrinque tenuit dimicantium pertinacia, Gallicque quinque aut sex vicibus repulsi, toties prælium restaurarunt, donec tandem pedem referre compellerentur, selectioris militiae ducentis, aut ferme trecentis ante eversi muri ruinam misere trucidatis, quos inter Jacobus quoque Castillionæus de Coligni Parisiensis Præfectus, necnon Espinacius supremus rei tormentariae Locum-tenens numerabantur.

§. XCVIII.

*Gasto Foederatis pugnam offerre paratus.*

Altera die, cum Foederatorum copiae in aperto campo sese explicarent, ac nonnisi altero milliari a Gallorum castris Isapin inter & Bedesin abessent, Gasto nec amplius urbem tormentis quatere,  
nec